

II Latin Sight Recitation

Commōvit tamen bellum urbī Rōmae rēx Tarquinius, quī fuerat expulsus, et, collēctīs multīs gentibus, ut in rēgnum posset restitui, dīmicāvit. In prīmā pugnā Brūtus cōnsul et Arrūns, Tarquinī filius, invicem sē occīdērunt, Rōmānī tamen ex eā pugnā victōrēs recessērunt. Brūtum mātṛōnae Rōmānae quasi commūnem patrem per annum lūxērunt.

Secundō quoque annō iterum Tarquinius, ut reciperētur in rēgnum, bellum Rōmānīs intulit, auxilium eī ferente Porsenā, Tusciae rēge, et Rōmam paene cēpit. Vērūm tum quoque victus est.

Tertiō annō post rēgēs exāctōs Tarquinius, cum suscipī non posset in rēgnum neque eī Porsena, quī pācem cum Rōmānīs fēcerat, praestāret auxilium, Tusculum sē contulit, quae civitās nōn longē ab urbe est, atque ibi per quattuordecim annōs privātus incoluit.